

BV4224

L6

v.2

1869-74

BIBLIOTHECA  
MANUALIS CONCIONATORIA



Capilla Alfonso  
Biblioteca Universitaria



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

2850

# BIBLIOTHECÆ

MANUALIS

## CONCIONATORIÆ

EX S. SCRIPTURA.

### DILECTIO INIMICORUM.

#### QUOAD ESSENTIAM.

**DEFINITIO.** — Est actus charitatis, quo inimicus propter Deum diligit. **MATTH. v. 44.**

**ACTUS.** — Sex sunt præcipui actus hujus dilectionis. Primus est pro eis *orare*, ut Christus indicavit: *Orate pro persequentibus et calumniantibus.* Secundus actus est, *bene loqui de illis*, juxta illud Christi: *Benedicite maledicentibus vobis.* **LUC. vi. 18**

Tertius est *salutare*, etsi ipsi non saluent, hinc et Christus Apostolis præcepit, ut in quæcumque domum, etiam inimici, introirent, dicerent illi: *Pax huic domui.* Quartus est *benefacere*, tam in anima, quam in corpore; uti Apostolus Romanos monuit dicens: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* **ROM. XII, 21.**

Quintus est *mutuum dare petentibus*; quemadmodum iterum Christus monuit dicens: *Diligite inimicos vestros, et mutuum date nihil inde sperantes.* **LUC. vi. 25. Ibid.**

Sextus est *gratis dare*: *Sic enim, inquit Christus, eritis filii Altissimi, quia ipse benigne est super ingratos malos.*

TOMUS II.

**QUALITAS.** — Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis Filii Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. **MATTH. v. 44.**

*Benedicite persequentibus vos. Benedicite, et nolite maledicere.* **ROM. XII, 14.**

*Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbores ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* **ROM. XII, 20, 21.**

*Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduce ad eum. Si videris asinum odientis te jacentem sub onere, non pertransibis, sed sublevabis eum ipso.* **EXOD. XXXII, 45.**

*Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* **EPH. IV., 32.**

*Non quaeras ultionem, nec memor eris injurie civium tuorum.* **LEV. XIX, 18.**

*Omnis injurie proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injurie.* **ECCL. x. 6.**

*Fatnus statim indicat iram suam; qui autem dissimulat injuriam, callidus est.* **PROV. XII, 16.**

000385

Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas et in ruina ejus ne exaltet cor tuum. Ne forte videat Dominus, et displiceat ei, ut auferat ab eo iram suam. *PROV. XXIV, 18.*

Noli de inimico tuo mortuo gaudere, sciens, quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. *ECL. VIII, 8.*

**NECESSITAS.** — Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare et prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. *MATTH. V, 24.*

Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum ipso, ne forte tradat te adversarius judici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. *MATTH. V, 25.*

Qui non diligit, manet in morte: omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. *I JOAN. VIII, 4.*

Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ exæcaverunt oculos ejus. *I JOAN. II, 9.*

Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. *ECL. XXVIII, 21.*

**ÆQUITAS.** — Homo homini reservat iram, et a Deo querit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis ejus. *ECL. XXVIII, 3.*

**UTILITAS.** — Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cælestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester vobis dimittet peccata vestra. *MATTH. VI, 14.*

Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. *ECL. XXVIII, 2.*

**MEDIA.** — Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo, memorare testamentum Altissimi, despice ignorantiam proximi, id est, ne aestimes, quæ per ignorantiam in te peccat.

Memento novissimorum, et desine inimicari: tabitudo enim et mors imminet in mandatis ejus (id est, corruptio et mors im-

minent homini ob neglecta mandata). *ECL. XXVIII, 6.*

### EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

**QUALITAS.** — Inimicitiam in aqua scribere oportet, ut quamprimum obliteretur, amicitiam autem in æs incidere, ut perpetuo firma et immota conservetur. Neque enim ne odio simus (hoc quippe nostri arbitrii haud est, ac fortasse ne fieri quidem potest, omni enim modo præstantissimi quique viri improbis invidi sunt, ac propterea Sancti viri hujusmodi odium subierunt) sed ne homines, sed improbitatem, qua laborant, odio habeamus, nobis imperatum est. *ISTODORS PPELES. I. III. ep. cxxxii.*

Sunt plerique, qui se dicunt parcere inimicis suis, nec velle iis nocere, tamen non posse eos videre, neque insuper volunt cum eis loqui; contra quos Chrysostomus de compunctione cordis tractans, in illud: «Dimitte nobis debita nostra,» ait: Si tantummodo non lædas eam, qui te læsit, avertas te ab eo, nec libenter videas, manet sine dubio vulnus in pectore et dolor augetur in corde, quod si ita est, nondum utique, quod Christus mandavit, expletur. Nunquid tu ita vis propitium tibi Deum fieri, ut non quidem lædat, avertat tamen se a te? Cum et peccatorum tuorum veniam posesis, talem exhibere te debes his, qui delinquant in te. *S. BERN. s. II, 4 in Contic.*

Non vult simulatam remissionem, sed ex intimo corde, qui cordium scrutator et iudex est Deus. Adeoque non sufficit inimico reconciliari secundum oculos mundi, siquidem Deus, qui cor nostrum penetrat, quo dilectionis nostræ sit ratio, an scilicet vere aurum sit, optime dignoscit; quapropter S. Augustinus hoc salutare nobis tradit dogma dicens: Melius est, ut clames ore, et dimittas in corde, quam sis blandus ore, et crudelis in corde. Neque minus efficaciter et apte eadem Christi verba explicat Dionysius Carth. dicens: Cordialiter diligendo injuriantem, et culpam penitus dimittendo, ita ut nihil amaritudinis, iræ vel impatientiæ inhareat animæ vestræ. *CARTE. in c. XIX Levit.*

Vis acceptæ injuriæ esse memor, et inimicus? sis inimicus, sed diaboli, non membri tui: Propterea nos animo et ira armavit Deus, non ut ense in nostra corpora adji-

### DILECTIO INIMICORUM

ciamus, sed ut totum gladium in diaboli pectore immergamus. *D. CARYS. hom. xli, in Acta.*

Ille veraciter, hoc est, perfecte charitatem habet, qui, et amicum diligit in Deo, et inimicum diligit propter Deum. Ratio amoris hujus, ea videlicet, quæ hominem ad amandum Deum movere debet, Deus est, inquit S. Bernardus; quod copiosius explicat Cassianus: Non aliter, ait, ad illam veram perfectionem ascendere poterimus, nisi quemadmodum nullius alterius rei, nisi nostræ salutis gratia prior nos ille dilexit, ita eum nos quoque nullius alterius rei, nisi sui tantum amoris dilexerimus obtentu. Quamobrem studendum nobis est, ut de timore ad spem, de spe ad charitatem Dei, vel ipsarum virtutum amorem perfecto mentis conscendamur ardore. *S. GREGOR. hom. xxvii, in Evang.*

Nulli vel inimicissimo homini negari quantumcumque affectus, charitas, sane in hac parte ambigua, permittit. Tibi nocens, si non diligit inimicum. *S. BERN. serm. I in Cont.*

Neque Christus hoc jussit: nos non habere inimicos, sed non odisse, hoc enim est in nostra potestate; illud vero omnino non est. Ne autem sine causa odio habeamur, non est in nostra potestate, sed in eorum, qui oderunt. Improbri enim bonos nulla omnino de causa odisse consueverunt, etenim Christum quoque sine causa odio habuerunt, quemadmodum dicit: Oderunt me gratis. *D. CARYS. in Psal. vii.*

Jubemur diligere inimicos quoque, ut hæc sit perfecta et propria bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem, solum Christianorum. *TERT. ad scapul. c. I.*

**NECESSITAS.** Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. *S. AUG.*

Dum vindictam adornas, primum te ipsum tormento afficis, veluti si carnificem iram tibi apposuisses, dilanias tua ipsius viscera. Quid enim miserius homine perpetuo irato? Quemadmodum furiosi nunquam fruntur tranquillitate; ita qui similitatem gerit, et inimicum habet, nunquam fruatur pace, perpetuo æstuans, tempestatemque cogitationum in dies aggravat, et verba factaque secum reputat, ipsius quoque nominis infestus, qui injuriam dedit. *S. CARYS. tom. I, h. xxii.*

Quomodo poteris manus in cælum exten-

dere, aut linguam movere, aut veniam postulare? Si enim voluerit tibi Deus peccata condonare, tu id non permittis, cum adversum conservum, offensum animum retineas. *Idem.*

Homo, sine peccato esse non potes, et vis semper tibi dimitti? Totum dimitte semper. Quantum vis dimitti tibi, tantum dimitte. Imo, homo, intellige, quod remittendo aliis, veniam tibi tu ipse dedisti. *S. CARYS. in Serm.*

Si non dimittis injuriam, quæ tibi facta est, non orationem pro te facis, sed maledictionem super te inducis, cum dicis: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus. *S. ANAST.*

**ÆQUITAS.** Si in domibus vestris scorpiones essent, aut aspidem, quantum laboraretis, ut domos vestras purgaretis, ut securi habere possentis? Irascimini, inveterantur ire in cordibus vestris; fiunt tot odia, tot scorpia, serpentes; et domum Dei, cor vestrum purgare non vultis! *S. AUG. hom. xlii, c. vii.*

Multa deliquimus, in magnis offensivimus, et Dominum nostrum irritavimus, dedit ex sua humanitate hanc viam reconciliationis; ne igitur deseramus hunc pulchrum thesaurum. Nunquid non in illius potestate fuit præcipere reconciliationem sine ulla propria mercede? Non enim habet, quia sua præcepta corrigat, attamen ex sua multa benigne mercedem spondit nobis, et magnam, et ineffabilem, et quam maxime desideramus, nimirum veniam nostrorum peccatorum. Quam veniam habebimus, cum et tantum præmium accepturi, nec sic quidem obsequimur legislatori, sed perduramus in ejus contemptu? *S. CARYS. hom. cit.*

Tantopere infelix est casus inimici tui in peccato, tam est misera conditio, ut vel hoc unum debeat tibi lacrymas misericordiæ excutere, et stimulos addere, ut quæcumque potueris arte, vel ope, erigas fratrem in cono jacentem, liberesque a morte eum, qui in inferni faucibus est. Si asinum inimici sub onere jacentem lex antiqua sublevare jubet, quanto magis animam. *PAULUS DE PALAT. in c. v. Matt.*

Sepe suggerit adversarius noster, quod nisi vindicemus nos de nostrorum et nostris illatis injuriis, veluti viles et recordes reputabimur a plerisque. Audi quid *PROV. XIII*, dicitur: «Detestantur stulti eos, qui fugiunt mala.» Nonne insanissimus esses, si domo super te ruente propter aliorum derisionem,

a ruina et mortis periculo affugere nolles? Longe quidem majori laboras insaniam, si ex vecordia detineris parere inimicis, cum evadas non tantum supplicia æterna, verum etiam multa temporalia damna; insuper consequaris divinam gratiam, et gloriam sine fine mensuram. S. BERN. t. II, serm. I, a. 2, c. III.

Quod si nec gehenna immineret odio laborantibus, saltem ob ipsius odii cruciatum, peccata proximorum condonanda essent; cum autem æterna supplicia nos maneant, quid stultius, quam hic et illic semetipsum mulctare, dum de altero se credit ultionem sumere.

**UTILITAS.** Qui te docuit orare, ipse pro te allegat preces, quia tu reus eras. Gaude, quia ille erit tunc Judex tuus, qui modo Advocatus tuus est. Ideo ergo qui oraturus es, acturus es causam tuam, paucis verbis venturus ad illa verba: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Dicit enim tibi Deus: Quid mihi das, ut ego dimittam tibi debita tua? Quale munus offers? Quale sacrificium conscientie tue imponis altaribus meis? Continuo docui te, quid petas, et quid offeras. Petis: « Dimitte nobis debita nostra. » Et tu offers quid? « Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Debitor es ejus, qui falli non potest; habes et tu debitorem. Dicit tibi Deus: Tu debitor meus, ille debitor tuus, hoc facio ergo tibi debitori meo, quod tu feceris debitori tuo; rogas me pro misericordia tua, noli esse piger in misericordia, attende quod Scriptura dicit: « Misericordiam volo magis, quam Sacrificium. » Noli offerre sacrificium sine misericordia, quia non remittuntur tibi peccata tua, nisi offeras cum misericordia. S. AUG. s. CLXX, de Temp.

Tu legem scribis de venia et pena, tu in tui causa fers sententiam: Dimitte nobis, sicut dimittimus. Vide quid dicis, ne contra te ensem, ut insanus et furens, stringas. S. CHRYS. hom. XVIII in Joann.

Carbones ignis congeres super caput ejus, accumulabis super mentem ejus carbones ignis, id est, ferventes et urentes poenitentiam dolores; beneficiis enim tuis victus, dolebit se injurias fecisse tibi, a quo bona recipit, et convertetur ad poenitentiam sicut lucraheris eum Christo. S. AUG. s. CLXVIII.

Fit odium maximæ utilitatis occasio, frequenter quæ laudando, et gratificando non

effecerunt amici nostri, hæc præstiterunt inimici læsendo maledictis, etsi vera obiciant; illi enim gratificantes, sive assentantes, superbiae malum in nobis augent; hi vero odio perciti, crimina exprobrant, et nos ad vitiorum correctionem compellunt. S. CHRYS. t. VI, hom. XVIII.

Acceptisti injuriam, et eum, qui intulit, ulcisci cupis? Beneficiis eum affice, et ultus es. Si enim ulciscaris, similiter et te, et illum vituperabunt omnes. Si vero toleres, te quidem suspicient, de illo autem male loquentur. Quod vero majus malum et acerbius contingere inimico possit, quam videre inimicos omnibus esse admirationi, plausuque excipi, se vero in oculis inimici ab omnibus vituperari? Idem, t. III, hom. XXVIII.

Disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum ideo amplius monet: Exerecere misericordiam. Non est aliud vinculum charitatis, non est aliud vehiculum quo perdecamur in hac vita ad illam patriam: extendite dilectionem usque ad inimicos, securi estote. Benefaciendo adversariis, honorem defers Christo. Vide, quante virtutis et æstimationis sit hæc beneficentia, hæc victoria. S. AUG. in Ps. cii.

De ipsa perfectione diligendorum inimicorum Dominus admonens, ait: « Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Qui ergo dicit se in ipso manere, id est, in Christo, debet sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare. Forte hoc nos monet, ut ambulemus in mari? Absit. Hoc ergo, ut ambulemus in via justitiæ. In qua via? Jam commemoravi: Fixus in cruce erat, et in ipsa via ambulabat, ipse est via charitatis: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt! » Si ergo didiceris orare pro inimico tuo, ambulas viam Domini. Idem, t. I in Joann. c. II.

**FACILITAS.** Ille (ferè) quamquam naturaliter severtant, si humana tamen natura palpentur, plerumque mansuescunt; tu autem, qui illarum profecto naturalem feritatem, in eam, quæ contra naturam est, mansuetudinem, sæpe commutas, quam habebis excusationem, tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ tuæ inimica, convertens, cumque naturaliter feram ad mansuetudinem trahis, te mansuetum naturaliter, in feram rabiem natura repugnante perducis, et leonem quidem mitigas, reddisque tractabilem, furorem vero animi tui omni prorsus efficit leone severtant, et certe

eum ibi sint impedimenta, vel maxima, quod fera ipsa et ratione privata, et longe omnium alterius generis animalium excedit furem, tu autem de copia donatæ tibi a Deo sapientiæ, ipsam superas arte naturam. Qui igitur naturam vincis in bestiis, cur in temetipso una cum natura etiam voluntatis bonum prodidisti? Itaque si te, ut alium hominem mansuetifeceres, juberem, nihil hic quidem impossibile viderer imponere; quamquam excusare posses, non te esse dominum voluntatis alienæ, neque cuncta in tua voluntate consistere. Nunc vero tua hæc proprie fera est, et cui certissimo jure dominaris. Quam igitur habes apologiam, quemve reperies honestum excusationis colorem, qui, cum solerti studio hominem quodam modo facies de leone, tu tamen negligens leo efficiaris ex homine. S. CHRYS. hom. IV, in Matth.

Deus ita vult, et præcipit, et hoc gratum est illi. Quanta quotidie facimus pro amicis, quos a nobis alienatos et invisos, orantibus amicis in nostram gratiam recipimus, ut illis placeamus? O Christiane! facis hoc pro amico, et non facis pro Deo, maxime cum hoc non solum consulat, sed præcipiat? S. TH. DE VILL. serm. in Fer. 6, cin.

Si dixerò: Jejuna, corporis imbecillitatem mihi excusas. Si dixerò: Des operam sacræ Synaxi. Seculares curas. Si dixerò: Attende concionibus. Imperitiam. Si dixerò: Iram dimitte. Quid istorum allegare poteris? Non corporis imbecillitatem, non imperitiam, non paupertatem, non occupationes; quapropter minime omnium hoc peccatum veniabile est. D. CHRYS. hom. XXII.

Quid facilius, dic queso, quam homini, qui te laserit, iram remittere? Non enim longis ad id peregrinationibus opus est, non pecuniarum insumptu, non aliorum exhortationibus. Sufficit, ut tantum velis; ac jam virtus illa suum opus explevit.

**DIGNITAS.** — Triplex offensæ genus potest homini irrogari, cordis, oris et operis. Corde odiendo, mala desiderando. Ore detrahendo, infamando. Opere offendendo animam, personam, substantiam. Vis, de omnibus his honestissimam sumere vindictam? Vis quod nihil relinquatur inultum? Ignosce liberaliter corde, ore et opere. Si odit te corde, dilige eum amoros corde. Si nocuit tibi ore, in his, in quibus licitum est, lauda illum, ore devotam orationem ad Deum pro eo funde. Si vero opere te aut

tuos plurimum læsit, aliquod servitium, vel beneficium illi impende. O vindictioque benedicta, et omni pietate et honestate præcipua, et sibi bene conscia, proximo pacifica, atque Deo summe grata! S. BERN. ser. XXXI.

Nulla honestior vindicta de hoste sumi potest, quam indulgentia liberalis; proinde etiam magnus Seneca de quatuor virtutibus ait: Scio magnum vindictæ esse genus, posse ignoscere.

Tunc temporis magis exultans (David) quam cum Goliath dejecisset; siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Siquidem illic, et funda, et lapidibus, et acie habebat opus, hic vero cuncta prudentia rationeque peracta sunt. S. CHRYS. hom. m. II.

Illud tibi animadvertendum fuerit, quod de iis, qui deliquerunt, multi quidem eorum, qui ante nos vixerunt, suppliciaumperunt, quorum immortalis memoria per omnia sæcula durat. S. BASIL. ep. CLXIV.

Accendamur ad beneficiendum inimicis, ubi adverterimus, quod, qui pro inimicis orat, quique inimicos diligit et fovet, spectaculum est mundo, et Angelis, et hominibus; spectat Deus, spectant Angeli, stupet mundus, attoniti redduntur homines, cum vident Christianum reddentem non malum pro malo, sed pro malo bonum. PAULUS DE PALAT. in cap. v. Matth.

Mori a persequente, martyrium in aperto est opere; ferre vero contumelias, et odientem diligere, martyrium in occultata cogitatione; disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum. S. GREG. hom. de Martyr.

Nihil mirabilis in rebus humanis, quam diligere inimicos. S. AUG. I. Conf.

Multa sunt genera eleemosynarum, quas cum facimus, adjuvamus, ut dimittantur peccata nostra; sed ea nihil est majus, quæ ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. S. AUG. in Ezech.

Nihil potest esse fortius, nihil magis egregium, quam audire noxia, et non respondere contraria. CASSIOD. Super Ps.

Virtus est coram hominibus, tolerare inimicos, sed virtus coram Deo, diligere; quia hoc solum sacrificium Deus accipit, quod ante oculos ejus in altari boni operis unitatis flamma incendit. S. GREG. in Pastor.

## EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Christus in cruce suffixus dixit : Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. LUC. XXIII, 34.

Sed et S. Gertrudi quondam revelavit, se ideo præ cæteris creaturis, quæ in humanitate ipsi deservierunt ad commoda corporalia (qualia sunt vasa, quibus in infantia balneatus est) multo majorem honorem spineæ coronæ et lanceæ contulisse, ut et ipsi dilecti adversariis majorem honorem et amorem, quam benefactoribus impenderent. L. IV, in fin. c. LIV.

S. Stephanus, cum lapidibus obrueretur, clamavit voce magna dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum ! ACT. VII, 60.

Quam efficax autem hæc fuerit oratio, S. Augustinus indicavit, dum dixit : Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.

S. Jacobus Apostolus a Judeis de pinna templi præcipitatus ac morti proximus dicebat : Domine, da illis veniam ; quia nesciunt, quod faciunt ! SCRUTS, in Vit.

S. Paulus de se et aliis Apostolis confessus est : Maledicimus, et benedicimus ; persecutionem patimur, et sustinemus ; blasphemamur, et obsecramus. I COR. IV, 12.

Joseph Patriarcha petentibus veniam fratribus dixit : Nolite timere. Nam Dei possumus resistere voluntati ? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. Nolite timere ; ego pascam vos et parvulos vestros. Confortatusque est eos, et blande, ac leniter est locutus. GEN. XXX, 21.

David, cum a Semei malediceretur, cõhibens Absai a vindicta dixit : Dimitte eum, ut maledicat ; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David ; et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit ? II REG. XLV, 10.

Cum Abbati Stephano nuntiaretur, ipsius triticum a quopiam exustum esse, respondit ipse : Vae illi, qui hoc fecit, quoniam Deum offendit ! PETRUS SANCH. in Reg. Dei p. VI, c. XI.

Maria de Ascensione si ab aliqua sorore injuriam accepit, statim ad Eucharistiam in templum se conferebat, cordeque sincerissimo dicebat : En, Domine mi, munus, quod ad te deferro ; ut acceptum sit, precor, et ignosce sorori meæ, cui non cogitanti talia exciderunt. BARRT in sol. die 7.

S. Nicephorus M. cum sæpius a Sapritio

veniam et reconciliationem petisset, eamque Sapritius, dum ad martyrium educeretur, dare nollet, iste quidem, mutato proposito, Diis thus obtulit, S. Nicephorus autem pro eo collum gladio ferendum obtulit. SCOT. tom. I, Febr.

Alexander, Patriarcha Hierosolymitanus, fugientem a se, ac multa furantem, notarium suum, posteaque victum ac captivum 85. nummis redemit. Unde in ea civitate dici tunc solebat nihil esse utilius, quam Alexandro malefacere. PRABUM. Spir. c. XIV.

S. Apolonius, cum a Philemone Choraula multis injuriis lacessitus nihil aliud responderet, quam : Miserere tibi Deus, fili mi, et nihil horum, quæ locutus es, in peccatum reputet ! effecit, ut Philemon conversus martyrium cum ipso, obierit. VITA PP. p. II, cap. CI.

Elisabeth Hungariæ Reg's filia, cum rogasset aliquando Deum, ut omnes, qui eam injuria affecissent, singulari vicissim beneficio afficeret, audivit a Deo, numquam ipsam in oratione sic placuisse, obtinuisseque remissionem omnium peccatorum. FABER, in fests S. Steph. t. III, n. 3.

In Annalibus Ecclesiasticis de Nobili quodam refertur, quod die quadam egressus, ut se de eo, qui patrem suum occiderat, ulcisceretur, tandem illum obvium habens, dum in procinctu esset, ut ferro illum transfigeret, hic ei supplex factus, amore crucifixi eum, ut sibi dimitteret, rogavit ; qui crucifixi nomine audito compunctus, et placatus, ferrum in vaginam recondidit. Cumque postmodum idem Nobilis, tamquam legum status Equestris transgressor, a Ricardo, Angliæ Rege, exilio omniumque honorum suorum confiscatione mjectaretur, tandem post longum exilii tempus ecclesiam aliquam ingressus, Deum orare cœpit, ut cor Regis emolliret in veniam, et penæ suæ remissionem. Factumque est, ut quoties hunc in finem coram crucifixi imagine genua flectebat, toties Christi e cruce pendens imago, in ara exposita caput inclineret. Quo conspecto ingenti miraculo, Richardus Rex evocavit Equitem squalore obsitum, perunctatur, quod Deo gratissimum opus aliquando edidisse putaret, eoque subjiciente, parentis interfectori veniam per crucifixi vulnera exoranti ignovisse, audita rei serie, et causa exilii, in patriam, pristinos honores, fortunasque restituit. RAYNALD. ad annum 1232. num. I.

Neque minus memorabile est illud S. Joannis Gualberti exemplum, qui dum juvenis esset paternis obsecundaturus placitis, inimico insidiabatur usque ad mortem, quem cum aliquando inermem in stricta semita, ubi effugere non poterat, offendisset, miser ille ad hujus se pedes provolvit, vitamque donari petiit amore Christi crucifixi. Quibus verbis enollitus Gualbertus eum e terra sublevatum amplexatus est, eumque securum esse jussit, utpote qui bono usus fuisset advocato. Suum itaque prosequens iter Joannes ecclesiam intravit in via, ibique orare cepit coram quodam Crucifixo, qui illi caput inclinavit, quasi propter servitium, quod sibi, inimicis propter amorem Dei parcendo, præstiterat, gratias acturus. Qua miraculosa Domini correspondentia tunc confusus adolescens, interius se illuminatum sensit, moxque mundo renuntiare, subque Christi labaro imposterum militare statuit, quod et fecit, quando Religionem ingressus, alterius ipse Religionis fundator evasit.

Philippus Altieri, Baro Aquilanus, aliquando vulnus ex bombardâ mortale accepit in genu, et latere, unde mensibus multis de vita periclitatus fuit ; ad ignoscendumigitur exhortatus, et quantumvis se id facturum sæpius promitteret, in proposito tamen constans non perseverabat. Femur magis magisque intumuit, morbusque ita auctus est, ut pene moreretur. Post varios itaque gravesque assultus, ex corde toto injuriam remittere statuit, ideoque inimicum vocatum amplexatus est, eique reconciliatus. Statim non solum mortem evasit, sed a morbo illo convuluit, ut sanus factus sit, plusque virium habebat in femore olim vulnerato, quam in altero. HIST. SELECT. Aug. in Mant.

Memorabilis quoque est historia in Annalibus Ecclesiasticis memorata de Leone III, Summo Pontifice. Nepotes enim Adriani Pape invidia propter Leonis electionem excæcati, oculos illi eruentes, ad radices usque linguam ei abscederunt. Deus autem innocentium defensor, intercedente S. Petro, cui se recommendarat, nocte sequenti vitam, linguam, totalemque salutem illi restituit miraculose, ita ut merito gloriari posset : « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ? Dominus defensor vite meæ, a quo trepidabo ? » Sed quam putaris tam prodigiosi miraculi fuisse originem ? Cum Carolus Magnus sacrilegos illos Adriani nepotes pœna capitali mulctare decrevisset, Leo

omni cum zelo et spiritu se ei opponere, id effecit, ut loco mortis in exilium tantum ablegarentur. BARON. ad annum 799.

Joannem Riberam, Archiepiscopum Valentiniunum, ab homine, in quem assidue, nec vulgaria contulerat beneficia, apud Regem ac Pontificem M. impudentissime accusatum, domestici quondam urgebant, ut dignitati tuendæ causam ageret suam, hominique invidi ac perfdi consilia retereret ; sed veritatis unius stantem judicio nunquam pepulerunt, ut aliud vellet experiri. Prodidit se ipsam paulo post impudentia, et gravisissimi Principes ingenti calumnioris probro jussimur eum a Joanne veniam deprecari. Verum Joannes, qui eas inter offensiones patrem non exuerat, ad se adempti obviam ad scelas factus, atque perhuaniter amplexus, secretum in conclave dextrit, neque passus illatæ injuriæ mentionem inferri, amicissima in confabulatione diu secum habuit, nec minori charitatis significatione dimisit. Injuriam ergo, unus quidam fecerat, sed alter non acceperat. JOAN. RIBO. l. I, c. III, exempl. IV.

Detulerant Joannis Avitæ nomen ad Quæstiores fidei, quorum in Hispaniis tribunal præcipua judiciorum severitate celeberrimum est, homines, non minus libidinis quam ire atrocis, atque nequiter ingeniosi ; ita enim calumniam adornaverant, ut, quia fraus deprehendi non poterat, Joannes, post annua vincula magis inter damnatos, quam inter reos, ab ipsis judicibus haberetur, tanta sui nominis cum infamia, quanta paulo ante fuerat fama sanctitatis. Verum, ut manifesta tandem fraude suggestui redditus, frequentissimam ad concionem primum dicere aggressus est, nihil de se præfandum sibi esse duxit, sed pro accusatoribus preces a circumfusa concione, serena fronte, lætis oculis, ac pia quadam voci suavitate deposcens, omnes in tanta virtutis egit admirationem ; quamquam enim hæc virtus tessera sit nominis Christiani, nostroque in agro proveniat, nescio quia tamen efflante aura, adeo frequens enecat, ut veluti aliunde advectam atque ideo rariorē admiremur. Equidem vera fatentibus ardua res est, ex odio amorem legere. Idem, ibid, exempl. II.

Assueta solitudini Joannis a S. Guillelmo, Eremitæ Augustiani, sapientia, hominum etiam consuetudinem tulit, et quidem gravissimis injuriis lacessita. Oppidum est in Etruria, cui Battiniano nomen, quo ex vi-

cino S. Guilielmi saltu, egenorum, animorumque magno bono divertebat Joannes; eo in oppido agebat villicus nobilis Florentini, scortator idem impudentissimus, et iræ impotens in paucis, ergo a Joanne pudicitie admonitus, exardescens homo impurus, lenissimo monitori faciem colapho publice verberavit, prodidere se diu meditata præcepta patientiæ. Advolvitur illico impotentissimi rustici genibus Joannes, manumque injuriæ administram blande osculatur; et ne dominus indicio audito eum procurratione amoveret, Florentiam usque iter ingredi non dubitat, ratus, minorem eam esse patientiam, quam charitatis decora non auferent; præstitit plurimos annos in silvis latuisse virtutem, ut tanto inde cum splendore prodiret. *Ibidem*, *exem. v.*

Nec solis in silvis crescit patientia inimicorum amans; nihil minus illustre nobis exemplum reliquit Thomas Villanova, qui hominem de clero, quod corruptissimis moribus Ordini dedecori esset, quum paulo acrius oburgasset, ille contumacia elatus in Thomam invchi, eique in se, qui sacrorum Quæstorum in familiaritatem adscitus esset, nihil Archiepiscopo juris esse vociferari cepit, adeo inverecunde, ut nisi Thomas se ipsum incusans, suorum iras represisset, nonnisi male mulctatus inde abiturus fuisse videretur. Verum, peracto Quæstoribus indicio, jubent illi hominem corripere, atque in vincla duci. Ejus rei nuntium Thoma accumbenti quum esset allatum, exilivit, atque impransus conscensa mula ad Quæstores accurrit, et quum multis frustra egisset, ne misero illi lingue impotentia, ultra quam non peccaverat, fraudi esset, ad extremum sancte confirmans, non abiturum se, nisi voti compotem, sibi ut incolumem redderent, pervicit. Tum peramanter amplexum, impositumque mule totam per urbem pari secum equitantem gradu circumduxit, ac sermones miscuit amicissimos. Dixisses, de victis injuriis triumphum longe amplissimum agi.

In aliquibus Simonis Berti manuscriptis sermonibus, qui Florentiæ in Bibliotheca S. Martini asservantur, sequens pariter refertur factum, de quodam privata conditionis viro, qui cum fratrem ejusdem Nobilis occidisset, neque hujus indignationem aliter declinare posset, Ecclesiam ingressus, ibi homicidium confessus est, illius poenituit, seque Deo ex corde recommendans, se re-

solvit suspensio ad collum capistro dicto Nobili se sistere, ab eoque veniam petere, quod et in feria sexta, intercessionem Jesu Christi in die illo implorans, aggressus est. Hoc igitur spectaculo permotus fuit Nobilis, ut venia indulta reum amplexatus fuerit, dicens: Vade in pace, frater, Deus remittat tibi in cælis, sicut remitto tibi in terra. Nocte autem sequenti eidem Nobili Christus apparuit, dicens: Quoniam heri amore mei condonasti inimico tuo, noveris, me animam fratris tui occisi hac hora e purgatorio liberasse; insuper animam patris tui prius mortui ex eadem poena exemisse, et ambos mecum duxisse in gloriam cælestem. Deinde idem superaddit auctor, quod Christus ei dixerit, ut infra dies octo se ad vitam æternam adendum disponeret, unde paulo post infirmatus, omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus, animam suo tradidit Creatori Paradiso inferendam. *MASSI*, tr. XXXV, disc. VIII, n. 15.

Vidua quedam unicum habebat filium, nobilem juvenem, multarumque opum heredem, quem dum quidam ejus occidisset inimicus, atque in fuga constitutus ministris justitiæ sibi imminere adverteret, mater cepit eum jamjam capiendum videns, atque interius Dei præcepto, quo inimicos amare, iisque benefacere julemur, extimulata, homicidam periculo eripuit, equum, pecunias, omniaque alia necessaria subministrando, ut securius omne evaderet periculum. Quod cum fecisset, ingressa est oratorium suum, et pro filii anima oravit. Cui oranti astilit filius luce ornatus, matremque sic affatus est: Cum inimico pepericisti, et pro me orasti, mater mea vere effecta es, plus quam cum me genuisti; insigni enim tua charitate et oratione a Deo obtinuisti veniam omnium meorum peccatorum, et indulgentiam consecutus sum multorum annorum, qui mihi remanebant in purgatorio exsolvendi. Sieque in matris oculis cælum ascendit. *Ibid.* disc. xv, n. 14.

Addit Faber: Ipsam quoque matrem per filium de beatitudine obtinenda securam esse factam. De hac certe matre illud astrui potest, quod de Sancta Monica in ejus lectionibus in hæc verba legitur: Dupliciter mater, quia cum mundo, et cælo peperit. *FABER*, in *Fest. S. Steph.* conc. III, n. 3 ex *Osorio*.

Tempore S. Philippi Nerii, prout in vita ejus legitur, quidam erat juvenis, qui ad

omnes rationes penitus surdaster, injuriam capitalem fovebat in corde suo. Hujus itaque aliquando præsentium nactus Sanctus vir, maximo cum spiritu crucifixum arripuit, atque ita juvenem allocutus: Ecce hic, cogita quantum pro amore tuo Dominus iste sanguinem profuderit, et suis non modo ignoverit inimicis, sed et insuper pro eorum venia Patrem æternum rogaverit. An non vides, miser, qualiter quotidie recitans, Pater noster, loco veniæ peccatorum tuorum vindictam paras? Quibus dictis præcipit, ut secum genua flecteret, et aliqua verba per modum orationis coram eodem Crucifixo secum pronuntiaret, quibus sanctus duritiam et obstinationem cordis exaggerans, insuper gravitatem peccati juvenis istius demonstrare cepit. Paruit ille, genuflectit, cumque orationem incipere vellet, ne verbulum totidem pronuntiare potuit, quin potius quidem contemiscere cepit, in eoque situ per longum remanens tempus, tandem se in pedes erexit, cum dicto: Ecce me, pater, paratum ad obedientiam præstandam. Ego omnem ignoseo injuriam, et quamlibet satisfactionem præstare paratus sum. Ita dixit et fecit promptissime. *LIV. VIII, c. IX, n. 4, Vita S. Philippi Neri.*

Refert D. Chrysostomus, quod, cum Constantini Magni statua ingenti injuria affecta fuisset, isque ad eam vindicandam irritaretur, vultu manu sua tacto responderit: Ego nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana vero et facies tota. Quem heroicum actum postquam S. Doctor recensuisset, tandem exclamat dicens: Hoc verbum hactenus canunt omnes, nec tantum temporis labefecit, ut hujus memoriam extinxit. Quo non sit hoc trophæis splendidus. *S. CHRYS.* hom. XX ad Pop.

De Carolo Magno potentissimo et invictissimo Franciæ Rege scribitur Baronio, quod, cum incognitus ab Abbate Montis Cassinensis, habitu religioso indutus fuisset, isque in villissimis culinae servitiis constitutus obsuam in illis obsequiis inexperientiam quemdam commississet errorem, coquus calore vini succensus insignem ei impegit alapam. Cui ille, sine ulla mentis turbatione, facie serena, respondit: Condonet id tibi, o frater, Dominus, et Carolus Magnus. Et tametsi idem coquus hunc ictum aliis temporibus non semel, sed tricies repetivisset, ipse tamen semper constans, sibi que similis nullum ostendit indignationis vestigium, tametsi ejus

in servitio collega, has injurias diutius tolerare nequies, easdem in coquo ultus fuerit. *BARON.* anno 147, nu. 11.

In vita Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini, legitur, quod, dum quidam ejus nepos dolens domum redisset, sanctum adiens Episcopum, singultibus, et voce suspiriis interrupta, irrogatam sibi a quodam tabernario significari injuriam. Sanctus vero Patriarcha, ut illum consolaretur, dixit ei: Quomodo possibile est, aliquem adeo fuisse temerarium, ut hac te injuria afficere presumeret? Talem utique de illo statuum vindictam, ut tota Alexandria inde rapienda sit in admirationem. Quibus verbis auditis, ira nepotis non nihil conquievit, existimans Episcopum severum de injuriante sumpturum esse prælicium; at vero quid accidit? Nepotem suum amplexatus eidem dixit, quod si agnosceret cognatum, et vicissim, ut talis ab eo agnosci vellet, se ad remittendam injuriam, eamque patienter ferendam disponeret, eo quod vera parentela non a carne et sanguine, sed a spiritu et virtute derivaretur. Unde cum summa omnium admiratione, et cum incredibili sua gloria, hoc de illo statuit vindictæ genus, quod scilicet illum a quodam tributo annuo, qui ei obli-gabatur, in perpetuum liberaret. *SCRIBUS*, in *Vita*.

S. Franciscus Salesius semel in via obviam factus illi, qui famam illius multis maledictis, falsisque criminationibus præcederat, ultro accurrens, et manum illius dextram prehensens, vultu hilari serenoque: Odisti inquit, me, sat scio; sic tamen hebeti, sic uolentium alterum mihi effoderis, fore, ut altero te benigne intuear. Nec tamen sic ferreum pectus emollit. At scelustus ille brevi post extiali exitu vitam flagitiosissimam clausit. Sæviebat alias calumnia in sanctum Episcopum, et aliunde in eum evomebat virus atrocitatis suæ. Apud Ducem Hemerosium, Principem faciem alioqui et benignum, deblateraverunt quidam adversus Episcopum iniquiores, tum in ipsum, tum in fratres ejus germanos, Bernardum, Baronem Salesiensem, et Joannem, Equitem Melitensem, aliquid, unde in Ducis mente orta de eorum fide suspicio, et ex suspitione diffidentia. Ubi id persensit vit pacificus, cedendum ratus iracundiæ, cum utroque fratrum Anecio Salesium accessit: quoniam tamen a divina gloria esse existimabat, se ibidem Anecii adesse per instantem Quadragesimam, scrip-

sit ad Duce[m] ea constantia, quæ inesse in servis bene sibi concisus solet, in hanc omnino sententiam : « Infida in primis est noctis testificatio, Princeps celsissime; ac qui per tenebras iter habent, his occurrunt pleraque periculosa, et quorum eventum præstare nemo queat. Quod Vestra Celsitudo expostulationes de me deque fratribus meis, excepit, fecit juste, si admisit tantum aurium tenus; sin eæ ad eor[um] usque Vestræ Celsitudinis penetrarunt, ignoscat mihi, si aio, servus utique fidelissimus, et indignus licet, Pastor tamen V. Celsitudinis, factum ab ea perperam, atque adeo dolere eam debere, quod accusationes eas, etiamsi cum vero consentirent, admisit præpropere. Etenim antequam delationes ulla in proximum admittantur, disquirendum rite, et ordine, verè an falsæ sint; non potest autem disquisitio illa legitime fieri, nisi auditis partibus, quisquis secus tradit, prodit utique animam V. Celsitudini. Nam quantumcumque fide digni censentur accusatores, audiendi tamen sunt, qui accusantur, et expendenda diligenter ea, quæ ad sese purgandos afferunt. » Quæ cum scripsisset justitia potius studio, quam declinande vexationis, acquievit postmodum, eosque, a quibus laecessit tam indignum in modum erat, areta semper benevolentia complexus est, cum iis ita versans, ut significationem nullam unquam dederit ægritudinis, aut recordationis acceptæ injuriæ. Quod die cum iis agebat, at ea lenitudine, quæ tantæ morum sanctimonie apte responderet, et cæteroque eo magis suscipiendæ, quod de injuriis illis optime jamdiu meritas erat. Ac ut beneficia quidem, quibus eos ornaverat, alia prorsus omnia flagitare videbantur ab ingratissimis, sic, si hominum conditionem spectes, incendere debere videbantur indignationem exuberati animi, sed nihil tale in Francisci mente unquam exstitit; semper non modo sincere, sed etiam comiter cum iis egit, ex effatis Evangelicis, misera illa simulatione prorsus ablegata, quæ nihil infer eos, qui injurias aut acceperunt, aut accepisse sese putant frequentius. Eodem modo ultas est injuriam ab Sacerdote in se profectam, illiterato reque et audaci. Is cum beneficium Curatum ab Episcopo impetrare minime potuisset ob imperitiam, repulsam illam, quamvis justam, tulit tam impotenter, ut famosum libellum et scripserit in virum Dei, et scriptum eidem obtulerit, in templo

versanti. Nam cum Canonici communi Capituli decreto factum tam indignum, tamque impium ulcisci plane vellent, intercessit Pastor bonus, et tantum non in genua sese demisit, penam reo deprecaturus, neque modo eos flexit ad veniam, sed etiam injurioso illi honestissimam apud Pædemptantium Principem conditionem curavit.

Hispanus quidam in Regno Mexicano ab altero læcessitus injuria, tanto in illum odio exarsit, ut juraret, se barbæ et capitis pilos non rasurum, neque ungues, neque expiaturum exomologesi animum prius quam adversarium e medio tolleret. Audit ergo, illum visum in civitate a loco, in quo erat, viginti leucas distante, iterum diris se devovet, si cibum prius sumat, quam hosti vitam eripiat, et e vestigio equum concedit, iter jejunos emittit, et intelligens adversarium in foro esse, eo se confert, sclopeto ad necem inferendam expedito instructus, et dum illum oculos circumferens, investigat, nec reperit, casu fortuito Patrem Societatis in foro ad turbam confertam Catechismum habentem vidit, et ratus, hostem forte in illa multitudine esse, accedit, et Patrem tum de Dei misericordia in peccantes disserentem audit; compungitur, suam in odio proximi pertinaciam incensat, divinam in se clementiam demiratur, plorat, et concione absoluta Patrem insecutus, ad pedes ejus provolvitur, et lacrymis perfusus, culpas confessione eluit, iterumque vovet, se cibum non gustaturum, etsi jam triduo non sumpsisset, nisi cum inimico rediisset in gratiam, votum illud frustra dissuadente Sacerdote; tandem hostem, ob nescio quod debitum, in carcerem conjectum reperit, ac denique (quod perfecta charitatis est) equum et arma divendit, et ducentarum librarum argenti pretio inde conflato, ære alieno et carcere hominem liberat, nec solum efflagitans, ut deinceps amicus et fratris loco se habere velit. PENNEQ. in *Sing.* p. II, c. vi.

Cui historie amplius fidem facit Engelgrav. quando eam ita narrat: In Mexico Hispanus juravit, se, priusquam suum hostem e medio tolleret, nec barbam radere, nec ungues rescindere, nec conteri vellet; idque jam duos annos. Audierat inimicum applicuisse ad urbem quandam 22 leucis inde dissitam, ergo iterum se obstrinxit, nec cibum nec potum se admissurum, priusquam eum peremisset. Quare citato equo illuc festinat, ubi intelligit hostem in foro deambu-

lare, eo se armatus confert. Sed opportune tunc quidam e nostris in trunco catechesim tradebat. Accedit illuc, num in turba hostem videret. Interim Patrem audit fervide de Dei misericordia loquentem. Unde furor remisit, ac tandem in lacrymas desiit. Patrem insequitur, et apud eum se expiat. Perstat in proposito, nihil cibi capere, donec in eum incidisset, quem occisum volebat, ut eum sibi conciliaret; quem ubi audivit, ob gravia debita carcere teneri, eum adit, et ad pedes prostratus veniam petit, equum et arma vendit pretio 200 librarum, et ejus debita expungit. ENGELG. *Dom.* 2 post Pent. §. 2.

Quidam in Italia cohortis ductor hiemabat in Dominicorum monasterio, cui Fr. Michael Ghislerius præerat; is rogabat ductorem, ut suorum militum licentiam compesceret; sed alter iratus, minatus est P. Priori, si hiscere auderet, velle seipsum in proximum puteum præcipitare. Post annos aliquot Prior factus Pontifex, S. Pius V dictus est. Ad eum præfectus ille militum a civitate sua missus legatus fuit negotiorum causa. Quem ubi S. Pius V vidit abjectum ad pedes suos, rogavit, num illius fratris meminisset, quem volebat in puteum dejicere? Aienti, recordari se minarum illarum, Pontifex ait: Ego sum ille. Ad quam vocem consternatus alter a Pio Pontifice animatur, et humanissimis verbis compellatus, etiam beneficiis ornatus dimittitur, nec tamen divina ultio defuit, ejus enim filius ad eundem puteum interfectus est. NIC. ERITH. ex. cxlii.

XXXI. Joannes Avila ad dandam hosti veniam quemdam obstinatum eum multoties rustra monuisset, jussit tandem coram crucifixo, qui erat in Joannis conclavi, flexis genibus semel Dominicam Orationem dicere. Quod alter, ubi fecit ut a sene se citius expedit, vix absoluta oratione tremens ac versus ad Joannem, paratum se ad omnem ejus nutum ait, et veniam se hosti dare. PAUL. BARBY. in *cent. ill. domus, Dei* c. I. n. 1.

S. Petrus Fourier, quod ab amoribus fœdis puellam avocasset, a proco fuit in egressu templi ad aedes usque curiales seu Parochiales aliquando pugnis male muletatus. Id ubi visum est a Mantincuriae pagi, ubi parochiam curabat, incolis, hominem selectum insequerantur, injuriam sancti viri ulturi. Petrus sollicitus, ne quod ei sinistri accideret, ære campano sonitum edit,

ceu ad incendium restinguendum, vel ad arma ob irruptionem militum capescenda vocarentur, vel alius casus inopinatus accideret: quo signo non tantum ii qui querebant in campo sancti viri hostem invadere, sed etiam populus universus confluit, visurus quod contigisset. Pater ubi illos vidit, eos enixe rogavit, ut secum genia læterent, hominemque Deo precibus commendarent. Hoc situ per semihoram durarunt, felici eventu. Postridie enim miser ille ad Petri pedes prostratus veniam petiit erroris illius, et totius vite sue emendationem pollicitus; ac deinde alius exemplo fuit. VII. II, c. vi.

Ludovici XII, Galliarum Rex, ubi descripta eorum, a quibus graves injurias passus fuerat, nomina legit, non ad vindictam, sed ad ignoscendum animum applicuit, et ducta super chartam cruce, omnia sepelivit. Pius Princeps nunquam se quieti dabat, nisi dato devoto osculo pedibus crucifixi; quam herois devotionem in invidia instrumentum vertit æmulatorum nequitia. Ergo subornatus ab illis supremus cubilei præfectus, illum ipsum in crucifixi pedibus locum veneno unxit, ut mortem oscularetur Princeps. Ipsa majoris hebdomadæ feria sexta ignarus designati sceleris Princeps, ad solitum pedum osculum accessit, sed crucifixus pedem retraxit. Cohorruit, in se sceleris latere aliquid interpretatus Princeps. At Christo interprete alienum agnovit esse crimen; et ignovit libenter, quando accedenti ad pedes cubilei Præfecto, et id quod erat narranti, veniam dulcissimam dedit. NADAS. in *Anno crucif.* hebdom. 47, n. 5.

Chrystophorus Martyrium a Dago, Lyeiæ Rege passus, cum post multa tormentorum genera stipiti alligatus, tandem sagittis appeteretur, atque earum una reflexo mirabiliter ictu Regis oculum conflixisset, vulnere remedium monstravit. Rex itaque decollati Martyris errore illito oculo sanatus est; et conversus, cadaver ejus sepulture honore affect, cujus vitam extinxerat; tum demum considerans Christi virtutem, cum expertus est erga se martyris charitatem. MARUL. lib. III.

Clodoveo Rege adversus Gothos arma movente, quidam ex militibus prædæ cupiditate Maxentium, Licentiensis Monasterii Abbatem, sacrilegio renitentem, ut poterat, ferre vellet manum cum gladio sublevatum demittere nequivit; reliqui, nescio qua stupiditate mentis correpti, immobiles

constitere. At Maxentius immanitatis violentiæque eorum oblitus penam misereri cepit, et precatione liberus ab agritudine reddidit. Qui deinceps inferre illi injuriam, et timerent, castigati, et erubuerunt beneficio victi. *MANUL. Lib. III.*

Vidit Arcadius in Hetruria non vulgare dilectionis inimicorum exemplum. Cum Pergentius et Frater sub Decio torquerentur, tortorum manus quæ medio verberata obstuperant, suis restituerunt precibus, magis de inimicorum salute, quam de suo ipsorum supplicio solliciti. *MANUL. Ibid.*

Vitallius, Alexandrinus Monachus, hominem, a quo alamp accepit, statim a demone arreptum, volutatum humi jaclatum, dum pro illo orasset, omni prorsus molestia expedit. Tam facilis exauditio nonne aperte declarat quanti apud Deum momenti sit erga inimicos dilectio? *MANUL. Ibid.*

Veneranda virgo dum pro Christo multis magnisque afficeretur suppliciis, et nunc humi dissipatis manibus pedibusque divaricatis extenta, nervis bubulis cederetur, nunc sic resupinata grandi lapide ventri advoluto premeretur, nunc in cacabum sulphure, picæ, oleo plenum demersa subjectis ignibus, non destitit pro tortoribus persecutoribusque orare. *MANUL. Ib.*

Elphegus, Cantuariensis Archiepiscopus, Romam versus pergens, cum in urbem Ausoniam divertisset, omnibus quæ secum habebat exutus urbeque ejectus fuisse dicitur; at cum Deo ulciscente Sancti injuriam repentino tecta incendio conflagrare cepissent, revocatus oratione flammam extinxit. Quo miraculo malignitas hominum in munificentiam versa, plurima offerebat dona; ipse vero nihil accepit præter ea, quæ sibi modo per vim erepta fuerant, ut gratuito potius inimicos, quam mercede diligere videretur. *MANUL. Ibid.*

Memorabilis admodum Joannis Eleemosynarii Episcopi contra injuriam gratia. Conquerenti nepoti de villico quodam convitiatore, respondit se ita in eum vindicaturum, ut nemo non miraturus sit. Accersitumque villicum annuis pensionibus liberum fecit; docens hoc exemplo nepotem, injuriam hominum haud secus vindicandam esse, at his præsertim, qui Deo, non sibi placere student.

*Pœne neglectæ dilectionis inimicorum.*

Graves Cordubæ in Hispania inimicitia inter duos præcipua nobilitate viros, non exigua urbis offensione intercedebant, cum illorum alter in morbum lapsus, Sacerdotem e Societate nostra evocat peccata confessurus. Noster, publicæ memor offensiois, negat posse sese, nisi palam adversario concilietur, penitentia Sacramentum imperitari; æger paratum se ait ad omnia. Convenitur adversarius, qui et ipse se ad ponendas inimicitias promptum exhibet. Ergo convocatis testibus odia ponuntur, amicitia utriusque firmatur, æger absolvitur, SS. Christi epulo adhibetur, et paulo post vivere desinit. Quis hic non credidisset, virum felici vitam fine clausisse, et inter beatos assumptam esse?

Verum eheu! alia sunt Dei judicia, alia hominum! Nocte, quæ proxima fuit ab elato funere, adsunt sub ipsius noctis medium cum facibus adolescentes duo, Collegii nostri fores pulsant, Patrem, qui defuncto fuisset a confessionibus evocant, esse rem magni momenti, quam communicatam illi velint. Sine mora præsto fuit Pater, et a duobus illis recta ad templum, ubi viri corpus conditum erat, ducitur, datisque ab altero templi clavibus, bono animo esse jubetur, aperire ostium, ad aram Principum accedere, et ex tabernaculo pyxidem sumptam sequi. Fecit omnia, ut jubebatur, Pater, pendens animi, quem tandem res esset finem habitura. Illi igitur per omnia face prælucentes, Patrem ad defuncti nobilis sepulchrum deducunt, itaque tandem affantur: Est hic, mi Pater, Nobilis istius N. sepulchrum, qui dum visus est cum adversario, positus inimicitia, in gratiam redire, sed fecit ille fiet omnia, mortale intus odium fovens. Hoc statu infelicem animam ex mortali vita ad immortalæ æternis suppliciis transmisit. Sacra hostia nihil dum læsa hæret in cada-veris faucibus, eam inde ablatam in theca repones, et altari restitues. Ita facti, sepulchrum pede pulsatum momento aperient, erecto cadaveri os aperient. Sacerdos inde sacram hostiam, ut jussus erat, integrum educit, et thecæ imponit. Sub hæc, deturbatum magna vi in fossam cadaveri videri desit, eo abreptum, ut est credibile, a demonibus, ubi jam anima torquebatur, loci ante SS. Christi Corporis præsentia auferri

prohibuerat. Igitur composito iterum sepulchro, cum Pater recondidisset sacram pyxidem, ad Collegium reducit, iisdem continuo præeuntibus ad Collegii usque fores; quæ aperte ut primum Patrem receperunt, duo illi Tædachi ex oculis Patris, curiose quæ redirent observantis, subito evanuerunt. Quod non vanum est incidium, fuisse illas ex beatissimis in cælo mentibus missas, ut SS. Hostiam ex sacrilegis istis faucibus juberent educi, simulque omnibus patefacere, satis minime esse, si te de peccatis solum oratenus apud Sacerdotem accuses, sed vel maxime opus esse, ut inimicitia, odiaque, et quidquid intus peccatum fovet, serio abjiciatur. *Pædagog. Christ. p. IV, c. XVI, §. 2. hist. I.*

S. Bernardinus ad hoc propositum terribilem quemdam refert casum, qui in Monte Calvarie, juxta Christi sepulchrum, videlicet anno 1449, contigit. Cum enim ibidem in trirēmi quadam diversi viatores ad visitandam Terram Sanctam ex Hispania appulissent, accidit, quod vetula quædam eos circumiens, ad adolescentis ejusmodi pedes offendens in terram corrueret, levi equidem casu, corporeque illeso. Exinde tanta indignatione et odio contra illum adolescentem repleta est, quod cum pervenisset cum ceteris peregrinis ad locum nostræ Redemptionis, id est, ad Calvarie Montem, adolescente ab ea humiliter veniam postulante, illa tam levem offensam parere noluit, ac, ut moris est convenientibus aliis peregrinis ad humilem et devotam confessionem, atque ad sacram communionem, antequam visitent illa loca sacra, inter alios accessit ad confessionem adolescentulus ille, qui inadvertenter læserat mulierem; hic narravit Confessori scandalum, quod de illo sumpserat vetula illa innocenter. Statim mittitur ad vetulam illam postulaturus veniam, et innocentiam nihilominus ostensurus, quod quidem eo humiliter in præsentia peregrinorum implente, et illam exhortantibus ad hoc etiam aliis, illa vero remittere denegante, ad confessorum revertitur adolescens, indicans duritiam mulieris; remittitur bis, et tertio ad eandem genibus flexis, et brachiis cancellatis, cunctis peregrinis ad indulgendum adolescenti innocenti exhortantibus. Illa indignata et a Diabolo jam obsessa, oblita animæ suæ, oblita laborum atque discriminum præteriti itineris, oblita sacrali loci, Sanguinis Salvatoris, oblita illius, qui in

cruce ibidem pendens, non tantum large pepercit, verum etiam ardentem charitatem Patrem pro suis crucifixoribus exoravit, oblita divinæ misericordie atque justitie, tantum memor injurie, ad indulgendum adolescentulo nullo modo potuit inclinari. Nimirum ad litteram in ea adimpletum fuit: « Cor durum male habebit in novissimo. » O judicium summi Dei! exclamat S. Bernardinus. O tremenda justitia divinae severitatis! dum juvenis ille cum cæteris peregrinis suscipit Dominicum Sacramentum, vetula illa a demone jam arrepta, in cisternam, quæ quasi per viginti passus distabat, abiens, veloci se impetu precipitavit, et, quod, mirabile est, multis circa cisternam existentibus, ut haurirent aquam, satis de parvo cisternæ ore nullus de ejus præcipitio percipit. Unde dicitus Sanctus concludit, dicens: Discant hinc omnes animæ duri cordis, ac nolentes parere inimicis, quod, sicut Jacobi II scriptum est: « Judicium sine misericordia sit ei, qui non fecit misericordiam. » S. BERNARDINUS, t. II, s. XXX, c. III, 4.

EXEMPLA DOMESTICA.

Lutetiæ contubernalis quidam S. Ignatii Loyolæ fuit, qui commissa sibi pecunia Ignatium defraudavit, et in eas angustias hominem coniecit, ut magno studiorum suorum incommodo, quotidie mendicare cogereetur. Huic igitur pecunia fraudatori gratiam hunc in modum Ignatius retulit. Hispaniam ille Lutetia decedens, dum opportunam Rhotomagi navigationem expectat, in morbum periculosum incidit. Qui usque adeo mitem Ignatium, ac singulari præditum charitate esse intelligebat, ut ad illum de sua adversa valitudine amice scriberet, et, quasi esset beneficio a se aliquo affectus, opem ab illo sibi, auxiliumque postularet. Oblatum occasione Ignatii charitas avidè arripuit, ut libenter se impenderet, ac super impenderetur ipse, pro anima illius, et carbonem ignis non quidem vindicte, sed divinæ charitatis, in caput ejus congereret. Rhotomagem querendum, juvandeque hominis causa confestim ire statuit, et magna spiritus alacritate, ac robore animi, tridui iter, nudis pedibus, atque ita jejunis percurrat, ut ne aquam quidem gustaret. Rhotomagi debilitatum hominem offendit, jacentem erigit; confirmatumque jam, ad primos suos illos

socios in Hispaniam cum lit'ris commendatiliis mittit, infidelitatem suam detestantem, admirantem Ignatii charitatem, gratias Deo agentem, quod in terris vis iri esset, sibi que cum ostendisset, qui beneficiis maleficia ulcisceretur, officio cum offensa certat.

Sed et Romæ, anno 1546, Religiosus quidam eruditus, ex amico inimicus factus, invidia exstimulante, graviter in Ignatium exarsit; qui etiam jactare cepit, omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent, a Perpiniano Hyspali usque, igni se traditurum. Idque Ignatio, qui suis verbis renuntiaret, misit. Cui Ignatius scripto per eundem ita respondit: Tu quidem, quotquot nostri in Hispania sunt, cremandos te curaturum dicis; ego vero id dico, et opto, ut et tu charitate flagres et amici tui, ac necessarii, non solum qui in Hispania, sed qui in universo orbe terrarum sunt, Spiritus Sancti igne inflammentur, et ardeant, ut perfectionis culmen adepti, divinam gloriam augeant magis, et illustrent. Quod si quid contra me, bone Pater, habes, judices Romæ sunt; Gubernator et Vicarius, qui nunc, Summi Pontificis imperio, res nostras cognoscunt, ut sententiam de illis ferant; ad illos referas, queso, antequam sententiam pronuntient, ut ego si quid debeo, solus exsolvam, et corpore meo, potius satisfaciam (quod mihi quidem erit jucundissimum) quam alii, qui in Hispania sunt, nulla sua culpa penas indebitas pendant. *Ibidem.*

Vilnæ P. Petrus Scarga cum in platea iret, famulus quidam Calvinista equo in eum invecatus ingentem ei alapam inlinit, cumque ob hanc culpam in jus vocatus sententiam capitis aut manus certe amittenda in dies expectaret, P. Scarga pro eo tamdiu rogavit, donec sine omni pœna dimissus est. *Manuser.*

Leo Henricus novitius ædem sacram aliquando ingressus cum plenam tumultu, et immodestia reperisset, cathedram ascendit, et super verbis: « Domus mea, domus orationis est, » acriter intonuit. Movit ea res populum, et unum precipue, qui cum frustra Leoni silentium mandasset, tandem colaphum concionanti impexit, quo accepto Leo continuo Deo gratias agens ad pedes percussoris advolvit, illamque dextram, qua colaphum acceperat, ad osculum petit. *Hist. Soc. c. vi, n. 96.*

Joannes Fernandus cum Amanguzii verba ad populum faciens, salivam, a Japonæ in os conjectam, excepisset, nihil commotus, strophium extraxit, salivam abstersit, et dicere perrexit, quo viso aliquis admiratus charitatem et patientiam viri ad fidem nostram transit. *Hist. Soc. p. II, l. XI, n. 494.*

P. Jacobus Miro cum in Lusitania concionj interesset, in qua tota Societas mire coagitabatur, ceteris multis indignatione rei permotis abentibus, ad finem usque perstitit; atque ubi predicator ille de cathedra descendit, manum ipsius accipiens demissa osculatus est. *Hist. Soc. p. I, l. XII, n. 65.*

Joannes Nunnus cum in Africa a Sarcaceni sputis, lapidibus, verberibus, crebro petebatur, nihil tamen per hoc commotus majori semper charitate eosdem complectebatur, ita ut ipsi etiam barbari in admirationem raperentur. *Hist. Soc. p. I, l. X, n. 118.*

P. Ferdinandus Crendelius verus per omnia Societatis filius, si quando quasi verbo eum læsisset, altero die sacrum pro illo offerrebat; sic se ulciscabatur. *In Vita.*

P. Pascalius Broetus Lutetiæ cum socio messorum transiens, cum ab iis simulator nominaretur, aliusque convitiis et sannis appetere; baculo innitens tam diu perstitit, donec pudore satiati cessarent, tum ille erigens sese suavissimeque illos intuits: Deus, ait, benigne vobis faciat, filii, ac benedicat. Simulque signo crucis facio illis benedixit. Permoti illi hæc viri sanctitate ad genna occidentes, se convitiores, illum vero sanctum predicabant. *Hist. Soc. p. II, l. VI, n. 95.*

Gemella in Emanuele Fernandio et Petro Venusto virtus emicuit, qui florentissimis in regionibus barbaram immanitatem experti, Christianæ discipline retinentissimi obiere. Emanuel Transtaganum agrum colere primus de Societate aggressus, dum scortatorum impuras libidines altius resceat, quam improborum quorundam ferret inoluta consuetudo, ab iisdem (ut sæpe in rabiem migrat libido) Eboram revertens obruncatur, et semimortuus publica abjicitur in via. Inventus semimortuus, et de percussoribus interrogatus, indicium constanter abnuens, Jesumque ciens conquievit. Hujus deinde Reliquie post plures annos effosse, suavissimum odorem spirasse dicuntur; quod de illo mihi minime mirum videtur,

qui rosam, in qua cubuerat, balsamo aspersit charitatis. At Venustus Bibonæ in Sicilia, perditio a Clerico, quem frustra emendare tentaverat, pii laboris, amorisque pretium mortem invenit. Delituit scelestus prope viam, qua Venusto e villa domum iter erat futurum; nec mora, in securum, et tunc maxime e Breviario precantem, ausu nefario involat, atque in capite convulserat; stetit tantisper vita, ne charitatis eximie memoria interiret. Elatus enim domum a prætereuntibus, quum de patricida sedulo quærerent, gemina cum Christo Domino non minus charitatis, quam voce: Sinite illum, inquit, ignoscat illi Deus. Itaque ultimum homini vox fuit, quæ summa est charitatis. *Joan. Ruob. l. I, c. v, fol. 83 ex exemp. III, ex nostris.*

Non sola Martyrum certamina suo illo sanguine, ipsaque morte formidolosa censeatur; nam etiam in pace agentibus severissime aliquando pugnae, et acerrima prælia sunt committenda. Equidem morte ipsa ego gravius existimem, hominem longa virtutum fama inelytum, populisque ac principibus venerabilem, invidia inimicorum agitante per calumniam traduci, ac de violata per libidinem sacrorum majestate accusari, e patria sede abripi, in urbem abduci, a fidei Quæstoribus in carcerem dari, interrogari, ac tantum non torqueri. Facilius sanguinem fundas, quam famam, ac nomen negligas. His experimentis probata est Hieronymi Bondinarii virtus, sed emerit illustrior, subvehente charitate. Reduci ab urbe, quæ, hominis innocentia perspecta, eum in suam sedem Mutinensem perhonorifice remisera, non modo Sereniss. Cæsaris filii extra urbem occurrerant, felicem reditum suo et parentis nomine gratulantes, verum ad se statim adeuntem, ad Palatii ostium obvium eueurit ipse Cæsar Dux, tota Aula, et nobilitate comitatus. Ibi antequam verbum ullum hinc inde fieret, ad Ducis pedes provolvit Hieronymus, atque, ut una in petitionem gratificari sibi vellet, obnixè orat, tergiversantem (quod facile conjectaret, qui petere vellet) tandem, ut facturum se data fide obstringeret, perpulit. Tum ille: Ego vero te per hanc tuam fidem exoratum velim, ne cuiquam mea causa irascaris, nec calumniatoribus fraudi apud te error sit. Hoc primum, hoc idem ultimum Hieronymo de tota illa calumnia atque judicio exinde verbum fuit, adeoque sui atque iræ potens

egit, ut cognitionis principes, quos unus omnium optime noverat, se per simulationem inrisentes, quod apud Ducem flagrantiori, quam unquam antea, gratia uteretur, arcanæque, ut olim, confessoris arbitri esset, perhumaniter exciperet, atque diutissime cum illis fabularetur, officisque apud Principem jvaret. *Ibidem, exemp. v.*

Gra inopoli celeberrima Christiana eloquentiæ fama concionantem Petrum Cottonum, atque hæresim acerrime profligantem, frementibus reliquis omnibus, sed nihil in virum jam tum clarissimum audientibus, inventus est sellularius unus, qui se interfecturum polliceretur. Adit ad illum post concionem composito in speciem doloris vultu, ac secretum, quasi animi arcana expositurus, exposcit. Ubi soli fuere, illico abjecta simulatione, in fauces involat, atque, ut erat viribus prævalens, arce comprimit, ut spiritum exprimat. Audit collectantium strepitu, advolantibus sociis, quamvis hominem jam haberent in potestate Cottonus, jus suis omnibus, qui aderant, rem occultam habere, libere ignovit, ac dimisit, quæ violentior non flexerat oratio, charitas vicit; error enim paulo post extenuis, illi se salutem debere profitebatur, cui vitam eripuisse voluerat.

#### EXEMPLA PROFANA.

De Gentili quodam Philosopho recensetur, quod, dum ei ab impio quodam homine colaphus in faciem impactus fuisset, ipse aliud non dixerit, præter quam, quod magno opere convenit homini scire, quando galea armatus in publicum prodire debeat, hoc enim armatura: genus genas et faciem tueri, et defendit. *MANSI, tr. XXX, disc. II.*

Phocio dum innocens injuste ab æmulis ad mortem condemnatus, calicemque venenatum sibi oblatum accipiens, a ministro Justitiæ interrogaretur, si quid filio suo, priusquam moreretur, commendatum vellet? generosissime respondit: Mando ei, ut obliviscatur potus hujus. *Ibid. n. 5.*

De Marco Catone, pariter ab impio homine nequiter perusso, tractans Seneca, sequens perhibet testimonium: Marcum Catonem in balneo quidam percussit imprudens, (quis enim illi sciens faceret injuriam?) postea sati-facienti Cato: Non memini, inquit, percussum me; melius putavi, non agnoscerem, quam vindicare. *Ibidem.*